



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum humilitas sit pars modestiæ, vel temperantiæ? 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

Ad tertium dicendum, quod humilitas, sicut & cætera virtutes, præcipue interius in anima consistit. Et ideo potest homo secundum interiorem actum animæ, alteri se subijcere sine hoc, quod occasionem habeat alicuius, quod pertineat ad detrimentum suæ salutis. Et hoc est quod Augustinus dicit in regula *, Timore coram Deo prælatus substratus sit pedibus vestris. Sed in exterioribus humilitatis actibus, sicut & in actibus caritativarum virtutum, est debita moderatio adhibenda, ne possint vergere in detrimentum alterius. Si autem aliquis quod debet faciat, & alij ex hoc occasionem sumant peccati, non imputatur humiliter agenti: quia ille non scandalizat, quamvis alter scandalizetur.

*in 3. regu
la nõ lon
gè a f. 1*

ARTIC. IV.

Vtrum humilitas sit pars modestiæ vel temperantiæ?

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod humilitas non sit pars modestiæ vel temperantiæ. Humilitas enim præcipue respicit reverentiam, qua quis subijcitur Deo, ut dictum * est. Sed ad virtutem theologiam pertinet quod habeat Deum pro obiecto. Ergo humilitas magis debet poni virtus theologica, quam pars temperantiæ seu modestiæ.

781
*su. q. 160.
a. 2. co. 88
3 d. 33. q.
3 ar. 2. q.
3. cor.
* a præc.*

¶ 2 Præterea, Temperantia est in concupiscibili. Humilitas autem videtur esse in irascibili, sicut & superbia quæ ei opponitur, cuius obiectum est arduum. Ergo videtur quod humilitas non sit pars temperantiæ, vel modestiæ.

¶ 3 Præterea, Humilitas & magnanimitas circa eadem sunt, ut ex supradictis patet. Sed magnanimitas non ponitur pars temperantiæ, sed magis fortitudinis, ut supra habitum est *. Ergo videtur quod humilitas non sit pars temperantiæ vel modestiæ.

*a. 1. huius
q. ad 3.
q. 129. a.
5.
hom. 8. in
Lu. a me.
to. 3.
* metrio
tis,*

SED contra est, quod Origenes dicit super Lucam †, si vis nomen huius audire virtutis, quomodo etiam à Philosophis appelletur, ausculta eandem esse humilitatem quam respicit Deus, quæ ab illis * metrioris dicitur, id est, mensuratio vel moderatio: quæ manifestè

Sec. Sec. Vol. iij.

Aa per-

percinet ad modestiam, vel temperantiam. Ergo humilitas est pars modestiæ, vel temperantiæ.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est *, in assignando partes virtutibus præcipue attenditur similitudo quantum ad modum virtutis. Modus autem temperantiæ, ex quo maximè habet laudè, est refræctio vel repressio impetus alicuius passionis. Et ideo omnes virtutes refræctantes siue reprimentes impetus aliquarum affectionum, vel actiones moderantes, ponuntur partes temperantiæ. Sicut autem mansuetudo reprimat motum iræ, ita etiam humilitas reprimat motum spei, qui est motus spiritus in magnitudinè tendentis. Et ideo sicut mansuetudo ponitur pars temperantiæ, ita etiam & humilitas. Vnde & Philosophus in

li. 4. c. 3. non vemo te a pri. 10. 5. q. 160. a. 1 Tullius l. 2. de inuen. in f. 3. ante f. lib.

quarto * Ethic. cum qui tendit in parua secundum suum modum, dicit non esse magnanimum, sed temperatum: quem nos humilem dicere possumus. Et inter alias partes temperantiæ, ratione superius dicta, continetur sub modestia, prout Tullius ¶ de ea loquitur in quantum scilicet humilitas nihil est aliud, quam quædam moderatio spiritus. Vnde primæ Petrij dicitur, In incorruptibilitate quieti ac modesti spiritus.

Ad primum ergo dicendum, quod virtutes theologice, quæ sunt circa vltimum finem, qui est primum principium in appetibilibus, sunt causæ omnium aliarum virtutum. Vnde ex hoc quod humilitas oritur ex reuerentia diuina, non excluditur quin humilitas sit pars modestiæ, vel temperantiæ.

Ad secundum dicendum, quod partes principalibus virtutibus assignantur, non secundum conuenientiam in subiecto, vel in materia, sed secundum conuenientiam in modo formali, vt dictum est *. Et ideo humilitas fit in irascibili sicut in subiecto, ponitur tamen pars modestiæ & temperantiæ propter modum.

Ad tertium dicendum, quod licet magnanimitas & humilitas in materia conueniant, differunt tamen in modo, ratione cuius magnanimitas ponitur pars fortitudinis, humilitas autem pars temperantiæ.

q. 48. c. 157. a. 3. ad 2. et q. 137. a. 2. ad 1.